



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

9. An censura requirat actum consummatum? Et ex doctrina huius
quæstionis aliqui alij casus inferuntur, & explanantur pro praxi huius
difficultatis. Ex p. 5. tr. 9. res. 56.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

esse non potest, *l. in bello §. Falso ff. de capt. & postlim. ruer.* idem illud gravamen irreparabile censetur. Doctores in *l. Quod iussit ff. de re judic. Diaz reg. 39.*

5. *Lezana in Sum. tom. 3. verb. Appellare, n. 7.* [Cum sententia duplex sit, altera definitiva, altera interlocutoria, ita ut definitiva sit, quæ fertur super causa principali, de qua lis agitur, v. g. an Religiosus fuerit fornicator: interlocutoria verò, quæ fertur super dubiis, quæ emergunt in ipsa causa, v. g. de teste aliquo recipiendo, dilatione danda, &c. idem appellatio fieri potest ab utraque sententia; ita tamen, quòd ab interlocutoria communiter non liceat, nisi continetur damnum irreparabile. Concilium Tridentinum sess. 3. cap. 1. de reform. & sess. 24. cap. 20. de reform. Hoc autem damnum irreparabile est, v. g. tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum, imò etiam ex declaratione Sacre Congregationis, incarcerationio.]

6. Idem etiam iisdem verbis docet Naldus in *Summa, verb. Appellatio, num. 2.* Ciarlinius in *contr. jur. tom. 2. cap. 1. §. n. 68.* Zipæus de *jure Pont. lib. 2. tit. de appellat. n. 10.* & alij. Vnde ex his patet, mercedè, ut dixi, non potuisse in illo casu contingenti adherere voto illorum Doctorum asserentium, excommunicationem non esse actum irreparabilem, & irretractabilem; nec enim absolutio postea à censura obtenta, potest tollere damnum ab excommunicato per illam jam incursum, tam ingenti, ut patet, nec indiget probatione: vnde patet responsio ad argumentum Adversariorum.

7. Nota verò, quòd Sacra Congregatio rectè apposuit in dicto Decreto incarcerationem inter gravamina irreparabilia: nam, præter Doctores citatos, ita docet etiam Navarrus in *Rubrica de iudicio, num. 83.* Sforza Oddus *conf. 72. num. 37.* Sylvanus, *conf. 17. n. 2. lib. 1.* Calvacanus de *Brachio Regio, part. 2. num. 13.* ubi dicit, captivam asserere præiudicium irreparabile, sive quoad honorem, sive quoad scandala. Idem docet Genuensis in *Praxi, cap. mibi 70. num. 12.* Matcellus Vulpe etiam in *Praxi cap. 21. num. 10.* & alij penes ipsos: quibus adde Henricum Bocerum (utriusque pius esset Author) *Disputationum de universo iure, tom. 2. Class. 6. disp. 34. num. 20.* quia, præter alias rationes, licet carceratio possit per liberationem de futuro reparari, & revocari; non tamen potest revocari de præterito respectu præiudicii ignominie, damnum corporis, &c. sicut diximus de absolutione ab excommunicatione. Hæc adnotare volui: quia quando casus supradictus hic Romæ agitabatur, visum est aliquibus nimis durum, incarcerationem à Sacra Congregatione appositam esse inter gravamina irreparabilia: sed merito hoc factum fuit, ut patet ex *superius* dictis: unde rectè, & sapienter, ut semper solent, Patres purpurati sic decreverunt.

RESOL. VIII.

An ad valorem censura requiratur contumacia respectu Ecclesie comminantis sub censura?
Et supponitur censuram, suspensionem, & interdictum non posse valide ferri, ac proinde non incurri nisi ob peccatum exterius inobedientia, & contumacia respectu Ecclesie.
Et notatur, quod tripliciter contingit aliquem esse contumacem. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 55.

§. 1. Certum est censuram non posse valide ferri, ac proinde nec incurri, nisi ob peccatum exterius inobedientia, seu contumacia respectu Ecclesie. Vnde contra Caiet. in *1. 2. §. 69. art. 2.* Almaynum de *potest. Ecclesie, cap. 10.* & Cordubam in *99. Theol. lib. 2. q. 17.* Ad secundum dicendum est excommunicationem majorem, suspensionem & interdictum

non posse valide ferri ob peccatum exterius præteritum factum absque inobedientia, seu contumacia respectu Ecclesie, seu ministeriorum ejus, id est, quando non præcessit aliqua juridica monitio, seu prohibitio, qua monuerint opus illud peccaminosum non esse faciendum.

2. Sed difficultas est ad valorem censuræ, an prærequiratur contumacia respectu Ecclesie comminantis sub censura? & affirmativam sententiam docet Avila *p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 6. concl. 6* ubi sic ait: Dixi sub comminatione excommunicationis, quia nulla sufficit contumacia, quæ non sit contra mandatum sub excommunicatione, quidquid videatur sentire Covarr. *supra. n. 6. vers. Et hæc quidem.* nam *cap. sacro, & cap. contingit el. 2. de sent. excomm.* requirunt monitionem continentem pœnam excommunicationis.

3. Notandum tamen est quòd tripliciter contingit aliquem esse contumacem? Primo modo, quando vocatus à iudice Ecclesiastico sub excommunicationis pœna non comparet. Secundò quando licet compareat, discedit tamen ante licentiam, vel sententiam iudicis. Tertiò, quando licet compareat & perseveret usque ad sententiam iudicis, tamen postea non vult parere sententiæ. Hic triplex modus contumaciæ ponitur in *canone certum est, 11. q. 3.* Ita Avila.

4. Sed sententiam Covarr. tenent Hurtad. de *censuris in comm. diff. 12. n. 15.* quia absque fundamento aliquo talis comminatio requiritur, etenim quamvis ea comminatio non fiat ab Ecclesia, qui ei non obedit, verè dicitur contumax in Ecclesiam, & eam non audire, quod sufficit ut censura puniatur. Dicendum est igitur utramque sententiam probabilem esse; sed ego adhæreo affirmativæ tanquam probabiliori, & ideo contra Hurtadum dicendum est cum Soto in *4. disp. 2. q. 1. art. 2. concl. 3.* Molin. *tr. 5. de iust. disp. 71. n. 9.* Suarez *com. 5. in 3. p. disp. 4. §. 1. n. 6.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 12. num. 13.* Graff. *p. 1. decis. lib. 4. cap. 9. num. 14.* Hentig. *lib. 13. de excomm. cap. 17. num. 1.* Sayro de *cen. lib. 1. cap. 9. n. 25.* Vgolin. *eccl. tract. tab. 1. cap. 9. §. 5.* Avila *p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 6.* Coninch de *Sacr. m. disp. 11. dub. 9. num. 82.* ad valorem excommunicationis desideratur, ut præcedat monitio, non quæcumque, sed sub pœna excommunicationis, & hoc ideo fit, ut contemptus ipsius excommunicationis, & contumacia præcedat, antequam incuratur.

RESOL. IX.

An censura requiratur actum consummatum?
Et ex doctrina huius questionis aliqui alij casus inferuntur, & explanantur pro praxi huius difficultatis. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 56.

§. 1. Respondeo affirmativè, unde quando in iure fertur aliqua censura propter aliquod peccatum, nisi aliud exprimatur, intelligendum est de peccato in genere suo completo, & colligitur aperte ex *c. perpetua sanctionis, de elect. in 6.* ubi dicitur, scienter indignum eligentes non incurrere juris pœnas, nisi adeò in eo persistierint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur. Vbi aperte significatur pœnam non incurri ob peccatum, quod non est omnino completum in suo genere, quòd caruit effectu; & ratio est, quia cum odia sint restringenda, lex imponens pœnam stricte interpretanda est. Ita Præpos. in *3. p. q. 1. de censur. in com. dub. 6. nam. 45.* Avila *p. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 5.* Suarez de *cen. disp. 4. §. 1. n. 4.* Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 2. n. 5.* Vnde ex his inferitur, quòd qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit, vel quia erravit, vel quia impeditus fuit vel aliter, non incurrit excommunicationem canonis

Sup. hoc inf. in ref. 14. §. ult. ad med. vers. Ex his deducitur.

si quis suadente, & qui percutit aliquem, si non sequatur mors, non incurrit censuram, si lata sit ob homicidium, quousque mors sequatur, & si non sequitur, quamvis miraculose impediatur, nunquam incurrit, quia quamvis ante mortem actio ex parte delinquentis sit perfecta, ut significatur nomine *homicidium*, quoad actionem delinquentis, ut conjunctam cum morte; qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum perveniat scriptura, & qui profert haresim absque consensu hæretico interiori, non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, quia non est perfectè hæreticus. Et ob eandem rationem qui consulit, aut mandat opus, cui est annexa censura, hanc non incurrit, quamvis ex consilio, aut mandato fiat opus (nisi illa sit etiam extensa ad consulentes, aut mandantes,) quia qui consulit, aut mandat opus, non efficit illud in rigore. Imò addimus quod quando censura fertur ob consilium, aut mandatum, non incurritur, si non sequitur opus, & quamvis sequatur, non incurritur ante opus secutum: at quando censura principaliter fertur ob consilium, aut mandatum, statim incurritur ante sequutum opus; & quamvis nunquam sequatur, ut fertur excommunicatio in cap. 1. de homicidio in 6. contra eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos (quæ excommunicatio jam non habet locum, quia jam non sunt assassini) & ut fertur in Clem. de penis, cap. 1. contra Religiosos mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populum à solutione decimarum, subintelligit tamen animo exterius expressio. Et hæc omnia docet Coninch de Sacram. disp. 13. dub. 8. n. 75. & 76. quem sequitur Hurtado de censuris in communi, diff. 13. n. 58. & 59.

RESOL. X.

An lata excommunicatio reservata contra perpetrantes homicidium, si quis propinato jam alteri veneno, confiteatur illud, incidat in censuram, morte sequuta, vel in casum reservatum?

Et in corpore hujus Resolutionis aliqui alij casus à simili explanantur, pro praxi supradicta difficultatis. Ex part. 8. tract. 7. & Misc. Refol. 83.

Sup. hoc inf. §. 1. Afirmativam sententiam videtur tenere Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 45. num. 30. docet enim eum qui percussit hominem, & confessus est percussionem teneri postea mortem subsequutam confiteri. Idem docet Sotus in 4. disp. 12. q. 1. art. 7. Vnde sequitur non satis esse confiteri causam datam pollutioni, antequam pollutio contingat, sed esse confitendam pollutionem postea sequutam; & si quis

Sup. hoc inf. leg. 5. Idem, hujus Ref. & Ref. ejus ant. not. confessus est ipsam procuracionem abortus ante abortum secutum, tenetur postea ipsum abortum secutum confiteri; hanc etiam sententiam tenet Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 3. & alij.

2. Non desunt tamen Doctores negativam sententiam tenentes; nempe secuto homicidio non incidere in reservacionem, & ideo non teneri iterum confiteri; & ita docet Henriquez lib. 5. cap. 5. n. 5. in glossa littera Z, & Fagundez in precept. 2. lib. 8. cap. 7. num. 17. Probat hanc opinio, quia nullus tenetur sua peccata semel ritè confessa iterum confiteri. Sed in nostro casu Titius jam ritè fuisset confessus, & valide etiam fuisset absolutus à Confessore, quia non habebat casum reservatum ante secutum homicidium; ergo non tenetur illud peccatum confiteri, cum effectus postea subsequutus naturaliter sit secutus ex causa data, non liberè, nec voluntariè, ex eo quod voluntas illius sit rescissa per penitentiam, & peccatum sit demissum per sacramentalem absolutionem. Tum,

quia, ut bene advertit D. Th. 1. 2. 7. Gutierrez, lib. 2. 99. Sup. hoc canon. c. 4. n. 95. in homicidio, quod in homicidio quousque ab homine ebrio commissum sit, tres actus pollutionis considerari, potatio videlicet, ebrietas, & occisio; in ebrietatem voluntas fertur directè, in ebrietatem indirectè, in occisionem verò nec directè, nec indirectè, cum ea merè naturaliter refultet ex ebrietate, quando ebrius nullam habuit advertentiam ad illam. Vnde est ut homo, qui confessus sit peccatum ebrietatis, nullo modo teneatur confiteri homicidium secutum, utpote quod naturaliter sit secutum, & non voluntariè, nec peccaminosè. A pari ergo quando homicidium non est opus morale, sed naturale, nulla aderit obligatio illud confitendi. Atqui in nostro casu non est opus morale voluntatis, sed naturale ex causa applicata; ergo confesso peccato causa, non manet obligatio confitendi peccatum effectus.

3. Demum verò ad hoc facit, quod in simili habet Hurtadus in materia excom. diff. 5. num. 76. videlicet, si sit lata excommunicatio contra committentes homicidium, & quis alteri propinet venenum, sed ante illius mortem omnino efficaciter resipiscat, hunc non incurrit in excommunicationem.

4. Pari modo, qui literas conscripsit ad excommunicatum vitandum & postquam illas nuntio significavit, resipiscit, atque omni diligentia adhibita studet literas recuperare, etiamsi eas recuperare non possit, adhuc tamen esse immunem ab excommunicatione minori, quæ contrahitur ob participationem cum excommunicato vitando.

5. Similiter si lata sit excommunicatio contra scribentes ad Moniale, & scribens, resipiscat antequam epistola perveniat ad manus illius Monialis, cui ea fuit exarata, & faciat quantum in se est, ut illam recuperet, vel ne ad manus illius deveniat, nulla excommunicatione ligari, quia cessavit omnis contumacia, quam vel actualem, vel in habitu saltem durantem supponit excommunicatio.

6. Pari modo propinantem venenum alicui Clerico, si ante mortem secutam resipiscat, non incidere in excommunicationem contentam in c. si suadente, reventa sententia, quam docet Avila de cons. quod excommunicatio hæc per ipsam propinationem non incurritur utpote in injuriam soli naturæ, non statui.

7. Idemque in simili diceret de procurante abortum, si post procuracionem resipiscat antequam abortus sit secutus, & faciat quantum potest ut illum impediatur, secuta morte eum esse immunem ab excommunicatione lata contra procurantes abortum foetus animati effectus secuto.

8. Ergo pari modo intelligere possumus, si quis debeat causam homicidio vulnus lethale infingendo, aut venenum propinando, si ante mortem resipiscat per confessionem, hunc morte secuta esse immunem ab omni reservacione, utpote, quæ supponat peccatum; quod tamen fuit deletum per confessionem. Et hæc omnia docet etiam novissimè Oliverius Mazuchellus tract. de casu reserv. disp. 2. cap. 7. q. 3. diff. 3. per totam.

9. Sed post hæc scripta inveni hanc questionem etiam pertractare doctum P. Raphaëlem Averlam de Sacram. Penitent. quest. 10. sect. 2. ubi postquam me ipsum, & alios citasset, sic ait. Si homo interim non retractet, & revocet pravam voluntatem, actum & effectum sequentem debere aperiri in confessione, quia suo modo participat eandem denominationem malitiæ, & conjungitur moraliter cum illa mala voluntate; ut ex D. Thoma, & aliis notavimus, & probavimus, 1. 2. q. 20. sect. 1. Et reddit peccatum reservacioni subiectum, quando imposita est reservatio super tale peccatum consummatum atque completum. Si autem per penitentiam retractetur illa prava voluntas, & adhuc sequatur effectus, quia impediri non potest.